Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dum unusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audivit, sed quasi criminatorem sui operis aversatus est. Verumtamen quod profuit armasse exercitum reclamantium, et vulneratae conscientiae dolorem monstrasse. Liber manet, homines praeterierunt. Scripsi et ad plerasque viduas et virgines et tu laus tua ... et quicquid dici poterat in illis opusculis defloratum est, ut aut superfluo eadem a nobis repetantur, aut nunc praetermissa non multum noceant. Certe et beatus Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, et multi Latini tam sermone Latino quam Greco, omniumque gentium litteris atque linguis, praecipue in ecclesiis agnetis vita laudata est. Sed hoc ad eas pertineat quae necdum elegerunt virginitatem, et exhortatione indigent, ut sciant quale sit quod eligere debeant. Nobis electa servanda sunt, et quasi inter colubros et scorpiones incedendum, ut accinctis lumbis calciatisque pedibus et apprehensis manu baculis, iter per insidias huius saeculi et inter venena faciamus, possimusque ad dulces Iordanis pervenire aquas, et terram repromissionis intrare, et ad domum Domini ascendere et dicere cum propheta: Domine dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae. Et illud: Unam petii a Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Felix illa conscientia, et beata virginitas, in cuius corde praeter amorem Christi qui est sapientia, castitas, patientia atque iustitia, ceteraeque virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quem cum viderit nolit dimittere. Sanctum virginum proposituм et caelestis angelorumque familiae gloriam quarundam se habere non agentium nomen infamat. Quibus aperte dicendum est, ut aut nubant si se continere non possunt, aut contineant si nolunt nubere. Digna res risu, immo planctu, incedentibus dominis ancilla virgo procedit ornatior, ut pro nimia consuetudine quam incomptam videris dominam suspiceris. Nonnullae separatae et absque arbitris quaerunt hospicia, ut vivant licentius, utantur balneis, faciantque quod volunt, et devi[ten]t conscientias plurimorum. Haec vi[|]demus et patimur. Et si aureus nummus affulserit, inter bona opera reputamus. Finem iungo principio, nec semel monuisse contentus sum. Ama scripturas sanctas, et amabit te sapientia; dilige eam et servabit te; honora illam, et amplexabitur te. Haec monilia in pectore et in auribus tuis haereant. Nichil aliud noverit lingua nisi Christum, nichil possit sonare nisi quod sanctum est. Aviae tuae semper ac matris in ore dulcedo versetur, quarum imitatio forma virtutis est.

Prefatio eiusdem presbiteri ad matrem et filiam Gallie commanentes. XIIII.

Retulit mihi quidam frater de Gallia se habere sororem virginem matremque viduam, quae in eadem urbe divisis habitarent cellulis, et vel ob hospicii sollicitudinem vel ut custodiendas facultatulas praesules sibi quosdam clericos assumpsissent, ut maiori dedecore iungerentur alienis.

25